Pius Episcopus Servus Servorum Dei Ad Perpetuam Rei Memoriam

Divina disponente clementia ad summi apostolatus apicem meritis licet imparibus sublimati indulgentijs ac privilegijs alijsque gratijs que per Romanos pontifices predecessores nostros Hospitalibus et alijs pijs locis provide concessa fuisse dicuntur ut firma et illibata permaneant libenter potissimum cum id a nobis petitur apostolici muniminis presidium adijcimus. Sane dudum postquam ut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Nobilis viri Petri Afan de Ribera Ducis de Alcala petitio continebat quondam Catherina etiam de Ribera mulier Hispalen. tunc in humanis agens [illegible] apostolice sedis licentia unum Hospitale pauperum cum Capella sub invocatione Quinque vulnerum Domini nostri Jesu Christi in Civitate Hispalen. in qua pauperes mulieres reciperentur et infirme curarentur aliaque charitatis opera exercerentur et cuius Capelle Capellani et ministri pro tempore existentes sub pro tempore existentium Priorum Monasteriorum per Priores gubernari solitorum Sanctorum Hieronimi et Isidori ac beate Marie de Las Cuevas extra muros Hispalen. eiusdem Sancti Hieronimi et Cartusien. respective ordinum cura seu patrocinio regerentur de bonis a Deo sibi collatis construi et edificari fecerat felicis recordationis Leo pp. x predecessor noster cupiens ut Hospitale et eius Capella huiusmodi a Christifidelibus congruis frequentarentur honoribus omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus secularibus et quorumvis ordinum regularibus qui Capellam predictam in festo sancti Gregorij etiam predecessoris nostri et singulis Dominicis ac Mercurij et Veneris Quadragesime diebus a primis vesperis usque ad occasum solis eorundem festivitatum et dierum devote visitarent ac pro dicte Catherine et maiorum defunctorum animarum salute ac felici successorum suorum statu ter orationem dominicam et totiens salutationem Angelicam devote recitarent omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti et ore confessi forent ac alias indulgentias et peccatorum ac culparum remissiones sub certis modo et formis tunc expressis apostolica auctoritate concessit et indulsit. Et deinde pie memorie Clemens pp. vij similiter predecessor noster indulgentias et peccatorum remissiones huiusmodi eadem auctoritate approbavit ac sub certis modo et forma extendit et ampliavit. Necnon quod Hospitale predictum et pro tempore existentes eius officiales familiares domestici commensales famuli procuratores factores advocati ac alie persone eiusque et eorum bona omnibus et singulis privilegijs exemptionibus immunitatibus libertatibus indulgentijs etiam plenarijs gratijs concessionibus et indultis Compostellan. et beate Marie de Gratia nuncupate Cesaraugustan. ac Cardinalium Toletan. et Hispalen. ac Regis nuncupato Ulixbonen. alijsque omnibus et singulis Hospitalibus in Regnis Hispaniarum consistentibus eorumque officialibus familiaribus domesticis commensalibus famulis ac alijs personis et eorum bonis ratione Hospitalium eorundem in genere concessis et concedendis in omnibus et per omnia perinde ac si illa specialiter primodicto hospitali et eius personis ac bonis huiusmodi concessa fuissent uti potiri et gaudere libere et licite valerent statuit et ordinavit aliaque privilegia et indulta Hospitali primodicto eiusque personis et alijs supradictis concessit ac dictis Prioribus quoties Hospitale predictum visitarent Centum Annos et totidem Quadragenas de iniunctis eis penitentijs misericorditer in Domino relaxavit. Necnon premissa omnia et singula per quascumque generales vel speciales quantumcunque latissimas et plenissimas derogationes revocationes suspensiones et moderationes ex quibusvis causis etiam verisimiliter non cogitatis etiam in genere vel in specie etiam motu proprio et ex certa scientia quomodolibet pro tempore emanatas nullatenus elidi vel illis preiudicium aliquod inferri aut sub illis comprehendi posse sed semper ab illis exempta esse et censeri debere ac quicquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contingeret irritum et inane decrevit. Ac postmodum similis memorie Paulus pp. iiij etiam predecessor noster indulgentias huiusmodi dicta auctoritate confirmavit aliaque privilegia dictis Hospitali et Capelle concessit prout in diversis dictorum predecessorum litteris desuper confectis plenius continetur. Quare prefatus Petrus Dux qui etiam Charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Sicilie citra et ultra pharum illustris in Regno Neapolis prorex et ut asserit dicte Catherine fundatricis Nepos ac dilecti filij Magistri Garsie de Haro Scriptoris et familiaris nostri consobrinus existit nobis humiliter supplicari fecit quatenus indulgentijs et peccatorum remissionibus ac privilegijs indultis alijsque gratijs ac litteris predictis pro firmiori illorum subsistentia robur apostolice confirmationis adijcere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui singulorum Hospitalium aliorumque piorum locorum ac illis inservientium decorem et commodum animarumque salutem sincero desideramus affectu Petrum Ducem predictum a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti alijsque ecclesiasticis sententijs censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes ac litterarum predictarum veriores et indesecutorum tenores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati Omnia et singula indulgentias etiam plenarias et peccatorum remissiones ac privilegia facultates exemptiones et alias gratias Hospitali primodicto eiusque Capelle administratoribus servitoribus familiaribus et alijs premissis tam per Leonem quam Clementem et Paulum predecessores predictos concessa ac prout illa concernunt omnia et singula alia in dictis litteris contenta tam spiritualia quam temporalia et indesecuta quecumque licita tamen et honesta illa adversus quasvis etiam per nos promulgatas revocationes quatenus sub illis comprehenderentur ac in pristinum et eum in quo ante illa erant statum restituentes reponentes et plenarie reintegrantes apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo approbamus et confirmamus. Non obstantibus revocationibus premissis ac quibusvis Cancellarie nostre regulis editis et edendis alijsque quibusvis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus Concilijs editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus privilegijs quoque indultis et litteris apostolicis quibusvis etiam fabrice basilice principis Apostolorum de Urbe Cruciate sancte et Redemptionis captivorum alijsque hospitalibus et pijs locis eorumque superioribus commissarijs deputatis et alijs personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs alijsque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus et alijs decretis etiam motu proprio ac ex certa scientia per nos et quoscumque Romanos pontifices predecessores nostros ac sedem apostolicam etiam ad Imperatoris Regum Reginarum Ducum et aliorum principum instantiam etiam iteratis vicibus in genere vel in specie quomodolibet concessis approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores formas et decreta ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in eis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis restitutionis repositionis reintegrationis approbationis confirmationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquingentesimosexagesimoprimo Sexto Id. Martij Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cae. Glorierius

Fed. Car.lis [illegible]

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Rta apud Cesarem Secretarium

32

Confirmacion de Paulo 3. de los previlegios que le dieron [illegible] y Clemente)

DIPUTACION PROVINCIAL SEVILLA ARCHIVO

PERGAMINOS, 29
Hospital de las Cinco Llagas, leg. 3

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO